



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio XIV. Decimæ non solvuntur à Religiosis de animalibus, horto &  
novalibus, & an leproso exempti sint à solutione decimarum. Reverend.  
P.D. Manzadedo. Corduben. Decimarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

discretivè de hospitali ac militia, tamen fuit confirmata unà cum aliis concessionibus Summorum Pontificum quoad hospitalia annexa militia, & ab ea dependentia, ex adductis in decisione, & ex his quæ hodie de novo ponderantur circa Breve, per informantes pro capitulo &c.

DECISIO XIV.

Decimæ non solvuntur à Religiosis de animalibus, horto & novalibus, & an leprosi exempti sint à solutione decimarum.

Reverend. P. D. MANZANEDO.

Corduben. Decimarum.

Luna 21. Maii 1617.

SUMMARIUM.

- 1. Decima non solvuntur de animalibus, hortis & novalibus, & de his quæ deserviunt pro usu Monasterii, & quæ à Religiosis propriis expensis continentur.
- 2. Leprosi communiter viventes, sunt exempti à decimis.
- 3. Privilegium concessum leprosis non extenditur ad hospitale, in quo curantur etiam alii infirmi præter leprosos.

Fuit in hac causa resolutum 23. Junii 1614. exceptis gregibus, horto, & expensis, sententias in hac causa latas esse in reliquis conformes, cum ad solvendas decimas gregum hospitale fuerit condemnatum solum per duas sententias Rotales, undè quoad dd. greges propositi dubium, an dictæ sententiæ essent confirmandæ vel infirmandæ? & Domini responderunt, quoad greges nutritos à fratribus pro usu hospitalis illas esse infirmandas, quoad alios verò confirmandas. Et movebantur, quia licet Religiosi, quales sunt hodie Fratres B. Joannis de Deo, admini-

G 2

Decis. 498  
par. 4.  
tom. 1. re-  
cent.



administratores illius hospitalis, non teneantur solvere decimas de novallibus in orto & animalibus, per text. in cap. ex parte il. 1. de decim. tamen hoc procedit his tantum, quæ deserviunt pro usu Monasterii, ut expressè declarat ibi Abb. meo Joan. de Anania num. 2. Ancharan. num. 2. Rebuff. de decimis quest. 14. circa finem & in animalibus, quæ ipsimet Religiosi nutriunt suis sumptibus, non autem in novallibus, quæ dant aliis nutrienda & tenenda. Clem. x. ubi gl'of. ver. animalibus & in novallibus de decimis Abb. in d. cap. ex parte in fine & ibi Ancharan. num. 2. vers. sicut etiam & Henric. Bohic. num. 2. vers. quod intellige Bury in 3. notab. Rebuff. ubi supra num. 177. ubi dicit, quod si dentur aliis tenenda & custodienda, requiritur quod vel petantur ad Monasterium.

Quibus non obstat, quod dispositio cap. ex parte sit revocata per cap. super eod. tit. quia ille textus loquitur quoad decimas prædiales, non autem gregum, circa quos nihil innovavit, ut expressè sentit Bury in d. c. ex parte prope finem, respicitur ergo.

Minus facit text. in cap. 2. de Eccl. adific. in quo leprosi non tenentur solvere decimas nec de hortis, nec de nutrimentis animalium suorum, quia quoad hoc, ut sit locus exemptioni, de qua in illo textu, leprosi debent communitate vivere, & simul congregati stare, ut ex illius lectura appareat, quod non verificatur in hospitali, de quo agitur, in quo licet curentur etiam leprosi, quando ad illud accedunt, tamen adsunt etiam alii infirmi laborantes cæteris morbis, neque ex eo quod hi leprosi retinentur separati ab aliis, videntur constituere corpus separatum, quia id fit ad evitandum contagium.

Undè cum privilegium d. cap. 2. sit speciale in leprosis, non videtur extendendum ad huiusmodi hospitale commune leprosis, & aliis infirmis. Quo verò ad alios greges, placuerunt Dominationes & fundamenta deducta in decisionibus Reverendi Archiepiscopi. 10. Maii 1604. & R. P. D. mei Pamphili 8. Martii 1610. in hac causa factis, & idè exceptis dictis gregibus nutritis per fratres pro usu Monasterii, quoad alios fuit resolutum pro confirmatione sententiarum Rotalium.

\* \* \* \*